Vado mori cernens ꝙ mors cũctis dñatur
Tenſa videns mortis retia: Vado mori

Vado mori pauper: nil mecum defero: mundo
Contempto mundus tranſeo: Vado mori.

Mors properat. fuga nulla patet: mortale tributũ Soluere. nature lege tenetur homo.

Mors
Tranſi cito rector animarum
Qui mortuos et viuos ſolebas
Comedere cauſa decimarum
Et non dei templis ſeruiebas
Vt ceteris exempla monſtrabas
Recipies tuum ſeruicium
Tibi fiet ſicut faciebas
Omni pene debetur premium

Curatus
Velim nolim cogor me reddere
Nullus homo quem mors non inuadat
Meas tedet oues dimittere
Has ne lupus dente fero ledat
Cum ſpiritus a corde recedat
Virtus abeſt relinquitur munus
Quid nunc dicam ſi iudex accedat
Felix ille quem quitat dominus

Mors
Pauper dolens languidus patiens
Agricultor te mori conuenit
Laboraſti viuendo moriens
Tibi nullus in penis ſubuenit
Huc accede nam finis aduenit
Cunctis equa: ſtultus eſt igitur
Qui nunq̄ ſe caſurum meminit
Sed viuere ſemper opinatur

Agricultor
O quociens te mors peroptaui
In penis cum tantis langueſcerem
Nunc me terres te deſideraui
Et vtinam te nunq̄ viderem
Si vitare poſſem te vitarem
Q̄ꝙ corpus labore vexetur
Hac et illac ſed ego neſcirem
Nulla quies in hoc mundo datur.